

III. Verùm, cum hæc per apertum inferius epistomium A emissa esset, (tunc enim è vestigio delabebatur) eoque clauso rursus, per G aqua denuò sed parcius & per angustum infundibulum infusa, hanc ab initio statim usque ad A descendisse, dein aliquam ejus partem subinde ad C, D, E, &c. hæsisse, ita ut alternatim nunc aër, nunc aqua aliquam tubi partem compleret.

IV. Motitato verò circa orificium G aëre per immersum digitum, paulatim aquas istas confluisse, descendentesque magis ac magis inferiora Tubi complêsse, dum interim bullæ perpetuæ instar digitalium per medias aquas cochlearum seu per helices ascenderent; Atque sic, affusâ subinde aquâ aliâ, integer tubus aquâ repletus est.

V. Obturato postmodum superno orificio G mediante cerâ & vesicâ suillâ, ut aërem non admitteret, & è contrâ reserato epistomio A, aqua intra Tubum delabi quidem cœpit, sed ubi e. g. ad F, perventum esset, ibi substitit sub altitudine 3 i. pedd. præterpropter (prout appenso funiculo postmodum comperimus) non obstante quod epistomium A reclusum, tandemque omninò extractum esset.

VI. Tandem igitur stylo ferreò candefacto ubi perforata esset cera in G, ut aërem per angustum saltem foramen admitteret, uno ferè momento aqua omnis delapsa est, & cum tanto impetu per orificium apertum A explosa, ut adstantes dispersis affatim guttis madefaceret.

*Causa prædictorum Phenomenorum seqq. Conclusionibus edocebantur.*

CONCLUSIO I. Aquam largiùs infusam hæsisse pendulam in medio Tubo, quia aerem Tubi, qui locum ipsi cedere debebat derepente occupaverat, uti exitus ipsi nullus pateret, atque sic aquam sibi undiquaque incumbentem, licet graviolem, supportare cogeretur. Causa II. Phen.

CONCLUSIO II. Tunc autem ubi sensim affluxit aqua, integram Tubi cavitatem simul & semel non occupans, Causa III. & IV. Phen.

F

ad